Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

so tristiciam nolens te ad iracundiam provocare. Deum vero incessanter exorabam ut traheret te ad se, et de longinquo revocaret exilio, cuius auctor tu temetipsi heu modo fugitivus factus es pietatis, et malicie minister totius et impietatis. Quomodo vero tu ipse opera immanifestum que erga me erant adduxisti, perfectione mei ausculta consilii. Non violabo fedus quod composui cum Christo, qui me redemit de servitute precioso sanguine suo, et si similiter oporteat me mori pro eo. De me ergo sic certus factus noli frustra laborare, quomodo numquam me poteris a bona confessione revocare. Sicut enim tibi impossibile est celi altitudinem manu tangere, aut marinum siccare pelagus, inefficax utique conatus est iste et inutilis, sic et istud esse cognosce. Si ergo ipse meo acquiescere volueris consilio, Christo reconciliaberis, et que super mentem humana sunt exigencia accipies bonorum, sociique ad invicem erimus, sicut nature ita et fidei. Aut autem discedam bene scias filiatione, et deo meo serviam conscientia munda.

Rex ergo ut audivit hec omnia statim commotus est et furore incomprehensibili arreptus, iracunde ei loquebatur, et amarissime dentibus frendens et furioso similis ait: Et quis horum auctor malorum nisi ego ipse, qui sic te disposui et talia tibi feci, qualia nullus aliquando patrum fecit filio suo. Quapropter perversitas tue voluntatis et contencio impudentie effrenata adversus caput meum insanire fecit. Merito ergo in tua nativitate astrologi dixerunt te malignum fore virum ac pessimum arrogantemque et inobedientem. Nunc vero si meo non obaudieris consilio, et a mea discesseris filiacione, pro patre inimicus effectus, illa faciam tibi que nec etiam hostibus aliquis ostendit.

Tunc Iosaphat respondit: Cur rex ita succensus tristaris, quoniam ego talium particeps effectus sum bonorum? Et quis unquam pater in filii felicitate contristatus apparuit? Aut quomodo pater iam talis et non ut inimicus reputabitur? Non ergo patrem meum de reliquo vocabo te, sed discedam a te sicut aliquis fugit a serpente, si cognovero te invidere saluti mee et ad perdicionem me coartari violenta manu. Quod si contra me tyrannice et hostiliter egeris sicut et dixisti, quid aliud videberis nisi quod pro patre tyrannus et homicida dumtaxat vocaberis. Et quia facilius est tibi aquile vestigia insequi et per ipsum aerem volitare, quam que in Christo est fidem meam mutare, et quam ei confessus sum bona confessione pervertere, ab hoc conatu quiesce. Sed pocius intellige pater, et albuginem atque caliginem dementis tue oculis excute, ut cernere valeas dei mei splendidissimum lumen, et ipsum aliquando illustrari dulcissimo lumine isto merearis. Quare enim totus deditus es carnis passionibus et voluptatibus et respectus non est vite? Scito quia omnis caro fenum, et omnis gloria hominis ut flos feni. Exsiccatum est fenum et flos eius decidit; verbum autem domini mei quod evangelizatum est manet in eternum. Cur ergo sic insane tenes ac defendis more invalidum flore marcescendam et perituram gloriam, atque abhominandas fetidasque delicias et ventris et subventris immundissimas passiones que ad tempus quidem delectant sensus stultorum, postea vero amariores felle faciunt retribuciones. Unusquisque enim vere ipse et somnia vite istius vane pertransibunt, in dolore vero perhenni ignis inextinguibilis et obscuri concludentur horum amatores et iniquitatis operarii, ubi vermis eos non dormiens sine fine comedit, et ignis assidue et inextinguibiliter in secula exuret, nullum exitum habituros. Cum quibus heu modo et ipse conclusus et atrocissime cruciatus multum quidem conscientia malorum consiliorum multum vero requires presentes dies et meorum verborum. Sed utilitas penitentie non erit. Nam in inferno confessio et penitencia non erit, sed presens tempus operationis est, futurum vero retribucionis erit. Si enim presentes iocunditates non perdicioni subiacerent et fluxui sed perhennitate forent, permansure cum dominis suis, nec sic oporteret Christi donis et eternis bonis ita preferre. Quanto enim sol nocte profunda splendidior est et lucidior, tanto et eo amplius bona promissa diligentibus deum omni terreno regno et gloria gloriosiora sunt et magnificenciora. Et omnino convenit maiora minoribus anteferre. Quomodo vero et fluxui omnia et corruptibilitati subiacent, et quasi visio et sompnium umbra pretereunt et pereunt, et aure pocius est credendum non stanti, et navis pontum preter labentis vestigiis quam hominum prosperitatibus. Quare est impudentie vel pocius vecordie et impudentie corruptibilia et mortalia infirma et fragilia incorruptibilibus preferre et eternis immortalibusque, et infinitis et temporali horum refrigerio insuccessibili privari bonorum illorum refectione. Non intelligis ista pater? Non pertransibis transeuncia et adherebis permanentibus? Non preferes habitationem incolatui, lucem tenebris? Non fugies a dura servitute mali rectoris, nequissimi inquam diaboli, et bono ac clementi et multum misericordi reconciliabis deo? Anne a multorum discedens et falsorum deorum servitute, uni servies vero et viventi deo? Nam et si peccasti ei diucius plasphemando eiusque famulos diris tormentis perimendo, suscipiet tamen te procul dubio, quoniam benignus est, si convertaris ad ipsum, et omnium tuorum immemor erit delictorum. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, qui de inenarrabili altitudine descendens ad inquisicionem nostri qui erraveramus, crucem, flagella, mortem pro nobis sustinuit, et suo nos precioso sanguine redemit venundatos sub peccato. Ipsi gloria et laus in secula amen.